DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

S C R O F U L A

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

SCROFULA

COMPLECTENS:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS *RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,*

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER GEORGIUS HOME,

Ex Insula Dominicae;

COL. REG. CHIRURG. EDIN. LICENTIAT.

NECNON

NOSOCOM. REG. EDINBURG.

CHIRURGUS DOMESTICUS.

Causa latet, vis est notissima.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

VIRO ADMODUM SPECTABILI

GEORGIO KELLIE, M. D.

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN.

NECNON SOCIET. MED. CHIRURG. EDIN. SOCIO,

ETIAMQUE SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

IN

OPIDO LEITH

MEDICINAM, FACIENTI,

TANTA CUM SUI LAUDE ALIORUMQUE COMMODO

QUO DUCE PRINCIPIA REI MEDICAE

ADDIDISCIT,

CUJUS DOMO ET FAMILIA

MULTIS BENEFICIIS ET AMICITIA

AFFECTUS EST

PEREXIGUUM HOC ANIMI GRATISSIMI

MONUMENTUM

DICAT

AUCTOR.

GILBERTO INNES, ARMIGERO,

DE STOW,

S. R. S. E. *&c. &c. &c.*

UNI CURATORUM, NOSOC. REG. EDIN.

OB PLURIMA IN EUM BENEFICIA COLLATA,

HOC OPUSCULUM,

ANIMO GRATISSIMO

CONSECRAT

ALEXANDER GEORGIUS HOME.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

SCROFULA

COMPLECTENS.

AUCTORE ALEXANDRO GEORGIO HOME.

UT aliquid novi de Scrofula in medium proferamus, munus tam expes et vanum videtur, quàm si aegrum nostrum, quum morbus semel invaserit, per res adhuc tentatas ad sanitatem iterum reducere vellemus. Hoc malum praeterèa corpus adèo longè latèque depopulari solet, ut vix unam partem compaginis nostrae intactam reliquere gaudet, nec minus in dubio est, nos materiam medicam fère totam in auxilium vocâsse et tamen nihil boni durabilis contra violentiam ejus praestitisse.

Hic morbus quinetiam limites tam arctos nonnunquam tenet, ut vix discerni queat; dum aliàs ita vehementer aestuat ut aegrum in summo discrimine ponat, vel reliquias vitae adeo lugubres reddit, ut miser refugium malis nullum nisi in sepulchro invenire possit.

Cullenus in Nosologia sua hunc morbum in classe Cachexiae et ordine Impetigines locavit, eundemque verbis quae sequuntur breviter ac concinnè notavit, "Glandularum con-"globatarum, praesertim in collo, tumores; "labium superius et columna nasi tumida; "facies florida, cutis laevis; tumidum abdo-"men." Hisce signis supra dictis capilli lintei, vultus puchrè candidus, oculi caerulei et pupilla dilata addi possunt; sed nihilominus exempla sunt ubi homines temperamento prorsùs alio praediti; in quibus oculi, capillitium ac facies colore fusco occupantur, sese huic malo quoque obnoxios gerunt, et si fides auctoribus adhibenda sit, malum in eis solito violentius saevire anhelat. *

* Thomson on Inflammation.

In his tamen non secus ac illis cutis nitida ac mollis apparet, vigor iste musculorum qui athleticis ferè semper contingit, strumâ laborantibus deese videtur; vis corporis insita labori cuivis insolito sese inparem habet, nec mutationes coeli, aëris et temporum homines ita affecti facile aut impunè tolerare possunt.

Pro parte maxima inter medicos convenit, hoc malum labe haereditaria niti, quanquam haud negandum est quosdam nec parvi nominis in hanc sententiam ire noluisse. *

HISTORIA.

HIC morbos apud Graecos titulo χοιρας designatur, dum auctores qui Romae priscis seculis floruerunt de illo sub nomine *Scrofula* tractarunt, quod verbum ex Scrofa originem suum ducit; et malum ità dictum est quia haec animalia prae aliis hujus violentiae ob-

* WHITE on Struma.

noxia credebantur: Quidam ex regibus apud Anglos hoc vitium tactu regio, ut fertur, amovere conati sunt, unde nomen ***King's Evil*** sibi Anglicè accepit.

Malum, de quo hisce paginis agere statui, sese rarò ostendere solet antequam aeger biennium vitae degit, et saepe ad aetatem puberem latet; dum exempla pauca sunt in quibus vim suam adhuc diutius compescere videtur.

Liberos pauperum plusquam divitum vexare solet, quod victui minùs lauto, vestibus haud satis aptis ut coeli inclementiam tolerare queant, et diaetae tenui ac parum nutrenti attribui debet. Hic morbus quinetiam ex mutationibus aëris magnoperè pendere videtur, quapropter nostrates potius quam gentes vicinae impetum ejus melius norûnt; et quoniam in aperto est corpora nostra ex varietatibus temperiei subitis multum discriminis subire, nihil mirum esset, si homo strumae jam proclivis pro parte rata gravius laboret, prae-

sertim quum apud nos interdum est, ubi tempora anni quatuor in die unico adspicere potes.

Regiones frigidae ac simul mutabiles huic malo prae calidis obnoxiae videntur, et uti Dom. Russel censet stragem dirissimam ibi efficiet ubi ratio frigoris maxima valet quae cum humiditate conjungi queat: Auctor idem istud esse spatium notavit, quod a gradu latitudinis septentrionalis 45° vel 50° ad 60° tendit, ubi Scrofula bacchari gaudet.*

Quum hic morbus infantes aggreditur, glandulas praecipue invadit, sed artus et variae corporis partes eodem modo saepissime plectuntur. Hae glandulae quum primum morbidè afficiuntur tumores parvulos et simul mobiles referre solent; sine causa satis justa oriri videntur et haud parum attentionis a medico vindicant, quò, habitu et conditione aegri rite perpensis, naturam mali recte intel ligat.

* Russel on Scrofula, p. 39.

Hi tumores formas duas sibi assumunt, altera est ubi molles et inelastici, apparent, ad suppurationem nequaquam tendere properant, et ubi aeger de eis nisi graviter premantur nihil dolet; in hoc statu diu maneant, nec ullum terrorem aut aegro aut adstantibus incutere possunt.

Altera forma est ubi tumor incrementum magnum accipit, et cutis supereminens faciem purpuream assumit; fluctuatio per digitum jamjam percipi potest, dum calor major et iritabilitas aucta partis affectae signa supra memorata comitari solent.

Materies tumorum, si exitus per artem non praebeatur, viam sibi per foraminula plurima facit; puri tenui haud dissimilis est, et quó diutius stillat faciem seri cum massulis coactis misti magis magisque refert, veluti si lactis coagulum esset; sub forma abscessûs chronici nunc plerumque apparet.

Corpora nostra e Scrofula vix saepius labo-

rant, quam cum morbus ille nos invaserit cui apud medicos nomen Tabes Mesenterica imponitur, et exitus tam fatalis isti malo contingit, quàm si Phthisis Pulmonalis arcem vitae obruere vellet; sed haec pestis post aetatem puberem nos potius invadit, dum illa vitam teneriorem plerumque lacessit, et annos quatuor primos maximè plectere videtur.

Dolor et abdominis intumescentia ex nulla causa evidente, signa sunt per quae Tabes Mesenterica distingui solet; pulsus celer et debilis micat, nasi pruritus est, alvus non bene respondet, sitis valdè urget, spiritus insuaviter olet cibique desiderium deficit. Cadavere secto glandulae mesentericae a statu sano deflexisse reperiuntur, ampliatae, induratae, et structura mutatae videntur; hinc ratio patet cur macies et debilitas semper adsunt, enim, his glandulis obstructis, transitus chylo abnegatur, et corpus exinde nutrimentum proprium accipere nequit.

Forma altera est sub qua Scrofula apparet, illa nempe quae nomine "White Swelling,"

apud plebem bene cognoscitur, et Strumae affinem esse nihil dubii existere potest, si ad ejus signa caute attendamus.*

Cum rigiditate et dolore partis affectae plerumque incipit, praesertim si membri extensio fiat; membrum ipsum macie confectum evadit et quasi liquescit dum artus incrementum haud leve accipit et fluctuatio percipi queat. Dolores nonnunquam violenter ardent dum alias aegrum minus lacessunt, ossa ligamentaque partium vicinarum ulceribus et carie occupantur, parietes tandem fatiscunt et fluidum albidum emittitûr.

Malo supra memorato Morbus Coxarius sese similem gerit quamquam cum diathesi strumosa non semper conjungi videtur; aeger de dolore gravi pone trochanterin majorem, sedem mali veram, conqueritur, sed tamen de inguine ac genu lateris affecti maximè dolore

---

* Russel on Morbid Affections of the Knee Joint, p. 54.

assuescit. Nates rotunditatem suam hic fere semper amittunt et ad planum potius descendunt, quod signum Dom. FORD primus notavit. Hoc attamen uti Dom. BRODIE censet, incertum est, nec fidem plenam sibi attrahere debet *.

Aegri quidam sic affecti violentiam morbi diu sustinent, dum in aliis, febris hectica vitae curriculum sine mora ad metam properat.

Exemplum hujus modi in Nosocomio nostro mense Novembris anno salutis humanae millesimo octingentesimo vicesimo primo apparuit; puella suae aetatis annum decimum tertium agens, diathesi strumosa evidenter inbuta huic morbo ex cursu violento infeliciter succubuit. Glandulae ad inguinem sitae priùs laborarûnt et paulo post nates lateris sinistri planata apparuit: claudicatio cum debilitate membri affecti mox advenit, tempore brevi

---

* Med. Chir. Trans. Vol. VI. p. 322.

quoque genu doluit, febris hectica accessit et aerumnis finem aegrae inposuit die fere quadragesimo ex quo morbus primum obortus est.

Partibus per scalpellum ritè sectis, os femoris ex loco suo sursum et exterius ascendisse repertum est, ligamenta ac musculi ulcerationem subierant, cartilago quae acetabulum investit non secus ac illa caput femoris cingens absorptione evanuerat; acetabulum scabrum erat et caries totum femoris caput invaserat.

Abdomine inspecto, glandulae mesentericae ampliatae ac pure repletae videbantur, et cavum istud uncias haud paucas fluidi hujusce continebat.

Oculi cum apendicibus nequaquam raro in strumosis morbidè corripiuntur, et inflammatio gravis ex causa levissima in eis oriri potest : glandulis sebaceis sedes mali frequentius inest et ulceratione pertinaci plerumque terminat, materies acrida et tenuis interdum exu-

dat dum alias magis viscida apparet. Palpebrae tumidae ac carnosae videntur aegroque adspectum ingratum inpertiunt, sed si oculum ipsum morbus aggreditur, signa tunc eadem habebit quae ophthalmiam aliter dignoscunt.

DIAGNOSIS.

Variae affectiones corpora nostra lacessere solent quae cum Scrofula confundi queant, nisi attentio debita signis comitantibus inpendatur; hinc tumores schirrosi, ulcera, steatoma, caries ossium ex lue venerea, et quaedam alia mala medicum fallere conantur.

Rachitis tamen a mense octavo ad annum vitae secundum victimas suas plerumque lacessit, dum Scrofula vix ante biennium provenire solet. Tumores schirrosi glandulas istas conglomeratas dictas saepius infestant, et illae conglobatae seu lymphaticae dictae nidum Scrofulae potius praebent. Si tumor aut ulcus ex

habitu strumoso pendens, partem ullam corporis vexat, spatium haud brève intercedere potest, antequam resolutio mali aut suppuratio accedit, et sic affectiones hujusmodi ab illis syphilide praeditis dignoscuntur; nam ulcera strumosa etiam per annos eodem statu manere videntur, dum contrà si ex syphilide oriantur, partes vicinae sortem communem subeunt si per artem non properè sanentur.

Tela cellulosa sedes propria steatomatis habeatur et parte ulla corporis appareat, neque enim glandulis lymphaticis nocet; si caries ossa strumâ laborantium invaserit, per materiam nigridam ac simul foetidam quae illam comitatur distingui potest, ossium extremitates praecipue laborant et ubicunque structura eorum reticulata est, ibi morbus effectus dirissimos ostendit, dum ossa densissima partemque mediam syphilis potius lacessere gaudet.

Haec signa tamen errori obnoxia sunt nec fidem indubiam omni tempore merentur, nam diagnosis vera vix dari queat nisi conditionem, historiam aegrique habitum ritè evolverimus.

CAUSA EXCITANS.

Quodcunque corporis constitutionem turbare valet, idem apud causas scrofulae excitantes numerari queat, seu hoc ex lue venerea, aut febribus eruptione comitatis, sive ab injuriis externis oriatur. Cullenus illustrissimus censuit hoc malum ex conditione peculiari systematis lymphatici originem suum duxisse, et quandam acrimoniam fluidorum causam mali proximam fecisse. Gregorius quoque in conspectu suo Medicinae Theoreticae, c. xiv. sect. 442, ita scribit, " saepe obstruuntur hae glan-
" dulae conglobatae, et in ingentem molem
" tument, plerumque ab acri aliquo ad ipsas
" delato, interdum fortasse et ab aliis causis
" minus cognitis; ut in strumis, vel scrofula
" ut vocatur," &c.

Defectus exercitationis justae nos huic malo obnoxios reddit vel apud ejus causas excitantes numerari possit, nam quodcunque secre-

tiones aut excretiones minuit, vel circuitum sanguinis impedit, viam plurimis nec levibus aerumnis sternere queat; si haec conditio cum victu tenui et parum nutriente, aere impuro et vestitu nimis levi conjungatur, tunc morbus crudeliter saeviet, utiqùe pagi isti opificiis dediti infeliciter testantur.

Si exercitatio debita negatur, functiones illae quae concoctioni inserviunt ex statu sano decedere incipiunt, et bene notum est, viscera quae hoc munere funguntur, multum inperii in scrofulam possidere, vitium suum illis glandulis ad cervicem positis communicant; indè per corpus totum si non obviam itur venenum serpit, fontem vitae contaminat, nec ossa nec ligamenta intacta relinquit.

Omnibus jam bene patet, scrofulam nihil vis contagiosae possidere, quoniam homines omninò sani cum strumosis et vivunt ac dormiunt et nihilominus semper incolumes evadunt: Si morbus vim talem possideret, quis tutus esse posset? praesertim quum limites

arctos tenere recusat, nec, si KORTO credamus, morbus excitari queat, etiamsi materiem strumosam applicemus uti in vaccinatione fieri solet. "Neque materies ex ulceribus scrofulosis "benignis affluens, contagiosam vim habet, id "quod ex nonnullis a me institutis tentaminibus apparet."*

Parentes hoc morbo impliciti liberos eorum sanos ac integros interdum procreant, dum contrà progenies strumosa parentibus contigit in quibus nulla signa scrofulae detegi possunt; quinetiam unus vel alter ejusdem familiae strumâ nonnunquam laborabit et caeteri intacti manebunt. Hoc ex causa satis evidente fortassê pendet, nam illi quos morbus vexaverat, cuidam rei excitanti, quae malum evocaverat, expositi fuissent, dum illi qui immunes evaserant nihil hujusmodi subierant; sed eos morbo omninò liberos haud aestimare debemus quanquam violentiâ solita prorumpere non vult.

* Vid. KORTUM de vitio Scrofuloso, T. I. p. 218.

DE PROGNOSI.

Prognosis nostra de hoc morbo ex natura, sede et magnitudine mali pendere debet; nam si glandulas superficie sitas solummodò tentat, parum periculi exinde fluere possit, nisi malum istud Bronchocele nominatum supervenire minatur, quod a nonnullis incrementum scrofulosum glandulae thyroideae esse putatur, haec pars magnitudinem tantam sibi nonnunquam assumit ut nec aër ad pulmones nec cibi ad ventriculum transire sinantur, hinc aeger ex inedia aut suffocatione miserrimè perit.

Formae istae mali nostri quae rectius internae vocantur, vitam aegri in discrimine summo semper ponunt exitumque fatalem plerumque habent: Tabes Mesenterica, Hydrocephalus ac Phthisis Pulmonalis originem suum ex hoc fonte ducentia auxilium ferè nullum in medicina possident, nec ulla res est ad quam in his malis cum fiducia certa confugere possumus.

CURATIO.

Ex causis hujusce morbi quasi nube adumbratis et ex remediis quae apud medicos in ejus curationem commendata sunt parum vel nihil fidei merentibus, opprobrium medicinae rectè nominari possit. Res tam varias ac diversas secundum aegri constitutionem quinetiam desiderat, quò mali levamen, multo magis curatio perfici queat, ut nulla ratio medendi prae aliâ fidem pleniorem sibi vindicat, ad quam veluti ad auxilium praesentissimum contra violentiam ejus confugere vellemus.

Liberi ex parentibus strumosis progeniti nutricem sanam ac integram quàm primum post partum accipere debent, ut labes haereditaria ex utero derivata lacte puro refici queat, si morbus aere impuro aut victu nimis tenui in actionem cietur aut si humida sede pendere videatur, tunc semita officii quae calcanda est cuivis in aperto apparere debet; diaeta magis nutriens porrigenda est aegerque in locum amo-

vendus est, ubi aër purus spiritu gratiori ac simul salutari pulmones recreare fovereque possit.

Si aeger in urbe vivat, demigratio ad rus consilium nostrum de hac re melius implebit, et ibi sub dio libero moretur donec sanitas firmior impurum aëra vici conferti impunè toleret; diaeta simul levis, nutriens et concoctu facilis fini proposito optimè respondebit, sed hoc ut multa alia ex rebus pendebit quae penes aegrotantem non semper ponuntur.

Balneum frigidum si per tempus satis diutinum continuetur aegris ita affectis plurimum commodi attulit,* sed vota nostra adhuc certius implebit, si balneum aquâ marina confectum et ad temperiem justam secundum vires aegroti redactum modo eodem applicetur. Balneum hujusmodi effectus quidem salutares saepissime possidet, morbique progressum plus quam semel coërcuit, praesertim si in auxi-

* Cullen's Practice of Physic, Vol. II. p. 267.

lium nostrum vocaretur, quum morbus genus lymphaticum primò tentare inceperit.

Si ex vestimentis parum generosis malum in actionem cieri putetur, haec aptiora reddenda sunt, et secundum mutationes aëris ac tempora anni incrementum aut imminutionem accipere debent.

Medici nonnulli apud quos HEBERDEN locum tenet, originem hujusce mali aquis impuris etiam attribuere voluerunt, vel saltem asseverarûnt morbum violentiâ insolita saevire, si aegri ad scrofulam jam proclives facti his aquis uti assuescunt.

Ex supra dictis nobis assumere licet, diaetam bonam quae affatim nutrimenti suppeditet, aëra noxiis vacuum, corporis munditiem cum vestibus quae vim vitalem ritè fovere possint, immersionem in aqua marina ad gradum satis temperatum regulata et alvum ex natura respondentem, eis struma infeliciter tentatis remedia optima promittere, per

quae morbus de quo agitur ad sanitatem iterum reducatur vel potius isto moderamine ita coarctetur, ut anni haud pauci spatio vitae addantur, quod aliter fieri nequiret si violentiae morbi non obviam eatur.

Aquae sulphure vel chalybe impregnatae, Cinchona, Gasis Oxygenii inhalatio* Sales Medii, Spongia Usta, Sarsaparilla Smilax, Submurias Hydrargyri, Arsenicum, Conium Maculatum, Aqua Maritima, haec omnia marte vario contra Scrofulam a medicis usurpata sunt, sed quod dolendum est nihil eorum ad curationem certam adhuc valuit nec palmam victoriae prae caeteris meruit. Scriptores nonnulli recentes Alkalinas res quoque adversus hunc morbum laudibus summis commendârunt.

Tentamina Solutionis Muriatis Calcis in curatione Scrofulae a FOURCROY primum instituta sunt, et hoc remedium apud Doc. BEDDOES, PEARSON aliosque medicos haud parvi nominis

---

* Vid. J. CAVALLO, on Med. Prop. of Factitious Airs.

erat, in his morbis qui ex habitu strumoso aut glandulis malè affectis oriri putabantur. Hoc medicamen autem non secus ac Solutio Muriatis Barytae in ulceribus Scrofulosis magis profuisse videtur, quam cum incrementum ex fonte strumoso inductum glandulas corporis humani lacessere solet.

Ex principio roborante agere videntur tonumque generalem systematis totius fere semper augescunt, appetitum cibi validiorem reddunt sitimque ex magna parte minuunt. Sed quanquam multum commodi attulerunt et spem haud parvam et aegrotantibus et medicinam facientibus dederunt, nihilominus fatendum est haec ad curationem perfectam non satis valere nec fiduciam certam in quavis morbi forma mereri, quoniam effectus qui ex eorum administratione provenire poterunt, semper in dubio et tenebris tenentur.

Antequam observationibus nostris de rebus istis finem inponimus, quae adversus Scrofulam a medicis temporibus variis ac successu

vario in usu fuerunt, pauca de remedio illo Iodine nominato dicere volumus, quod hisce annis contra hunc morbum etapud gentes exteras et nobiscum porrectum est. Hanc substantiam Courtois invenit qui sodae opificio Parisiis praefuit, sed Gay Lussac, H. Davy Eques* chemicique alii optimè de medicina merentur qui limites scientiae nostrae hujusce rei per suam analysin praecipue ampliârunt.

Hoc remedium formâ tincturae conpositum, ratione granorum Iodinae quadraginta et octo ad unciam unam alcoholis et dosibus guttarum decem vel quindecim bis indies a Doctore Coindet, Genevensi, in tumoribus Scrofulosis et Bronchocele praescriptum fuit; sub forma Hydriodatis Potassae in istis morbis quoque usurpatur.

Beneficia quae ab usu ejus profluere aestimantur laudem nimiam habuisse videntur, et ut remedia caetera quibus medici per secula

---

* Philosophical Transactions, 1814-15.

omnia Scrofulam subigere conati sunt, fidem minorem indies vindicat, nec tempus fortassè diu abest quum Iodina in curatione Scrofulae locum nullum habebit, sed in tumulo negligentiae ac oblivionis quiescet: nausea et signa ista quae febricitantes vexant, usum Iodinae nimium plerumque comitantur.

Medicus qui aegrotantibus in areis Clinicis Nosocomii Edinensis praefuit, experimenta quaedam ac tentamina justa de utilitate hujusce remedii in affectionibus Scrofulosis anno millesimo octingentesimo vicesimo primo instituit.

M. R. foemina annum aetatis suae quinquagesimum quintum agens incremento glandulae Thyroideae per triennium laborans hospes nosocomii evasit, remedium suprà dictùm actione grani unius ad grana Alcoholis centum huic aegrotae statim post admissionem porrectum est eandemque formulam in dosibus guttarum viginti ter indies sumpsit, haec quantitas per dies sexdecim sequentes incrementum gra-

datim accepit, et guttae sexaginta ter indies, nullo effectu evidente interposito, in ventriculum ejus saepius descenderunt. Die septimo ac decimo medicus remedium omitti jussit, per quod tempus aegra guttas tincturae mille sexcentas et decem sumpserat, summa quarum fere ad grana Iodinae sex decem respondet.

Foemina altera anno aetatis suae vicesimo quinto experimentum idem subiit: Plurimi tumores indolè strumosa evidenter praediti varias corporis partes invaserant; medicamen modô anteá memorato praeparatum est et huic aegrotae quoquepraescriptum, guttasTincturae quadringentas ac viginti novem spatio dierum undecim hausit, et ut socia nihil boni exinde derivavit.

GLANDULAE MORBOSAE.

Priusquam operi nostro finem ponimus, negotio proposito haud alienum videbitur, si ver-

ba pauca de glandulis morbidè correptis nunc loquamur.

Quum glandulae ita affectae tumere incipiunt, ratio medendi optima erit si illas quàm primùm discutere aut resolvere tentemus, hi in ulcerationem abeant aegrumque cicatricibus foedis tandem deforment.

Ob hanc rem applicationes Saturninae, Aqua Acetitis Ammoniae Conium Maculatum, Unguentum Hydrargyri, Epispastica et Aura Electrica invicem adhiberi queant; Hoc ultimum remedium cum inpetù Galvanico resolutionem tumorum vel inducit vel eos ad suppurationem evocat, pressura super partem effectam quoque commendata fuit, sed exempla rara sunt ubi tale auxilium ritè applicari possit, nam glandulae morbosae sedem plerumque occupant ubi pressura tutò fieri nequit, et fortasse parum vel nihil commodi ex laboribus nostris eveniret.

Si hae curae ad levamen mali nequicquam

valent et glandulae jamjam inflammantur et augescunt, hirudines cum lotionibus frigidis sine mora applicari debent, ne tumores in suppurationem properare velint. Sed si inflammatio ad hunc finem tendere videtur cataplasmata emollientia cum fomentis utilissima reperientur, et si dolor magnus urget, decocta sumitatum Papaveris Somniferi aerumnas aegroti ex parte magna lenire possint.

Quum tumores ad ulcerationem processerint multum curae ac attentionis requiritur ut labia vulneris iterum coalescant. Ulcera hujusmodi variis applicationibus per tempus diutinum saepissimè resistunt, sed si opera strenua detur et si remedia applicata identidem mutentur, labores medici justo suo praemio ac exitu felici rarius fraudabuntur.

FINIS.